Sic soleo temporis angustijs exclusus eadem (quod aiunt) fidelia duos parietes deal-
bare. Verum cum Geldorpius adolescentem hunc iam accinctum iniecta manu
retardasset nolui negligere occasionem scribendi ad te pauca de ijs quae scire te non mi-
nus mea interest quam tua. Sunt familiaria pueris praesertim verno tempore qua-
dam exanthemata, quas Plinius pusulas appellat. Id genus morbi his diebus non-
nihil nos afflixit. Laborarunt 10 3 aut 4 vereorque ut in plures serpat. in ijs fuit
et Brassius vester. Non est mortis metus in eo morbo potiss. nisi secordes simus
sed curatio submolesta propter deformitatem, et plerique pueri sunt ita delicati in mor-
bis et difficiles ut eos malis uno mense sanos pascere quam aegros diebus septem. Ego
autem consuetudine longa huius aerumnae scholasticae ita comparatus sum, ut faci-
le mussare et perpeti omnes incommoditates possim. Querelae nonnunquam me contri-
stant ad quas solet Egbertus promior esse quam mea ~~erga~~ eum fides et diligentia me-
retur. eius pustulae iampridem eruperunt et siccari incipiunt, ut post triduum aut
quatriduum (ut arbitror) rediturus sit ad consuetas actiones. Spondeo coram Deo
me et in cultu ingenij et in cura corporis ea facturum constanter, quae mea mediocris
facultas consequi poterit. aliquid odij conflat mihi quod meos disciplina quibusdam
quasi vinculis liberaliter profecto, sed tamen moderate et sub norma legis Dei
continere contendo, quae sane res non esset odiosa iuventuti nisi iam eo res redisset, ut
nemo audiat quenquam, sed omnes sibi omnia concedenda esse arbitrentur. Vale. Vi-
dua fac ut secura sit mihi Egbertus et caeteri tanquam filij curae erunt. 27. May.

1561

Johannes Molanus.

Pax Christi.

M. Cornelio frisio. ~~Emde~~

Erudite vir. D. Geldorpius Scholae nostrae Rector voluit me de re-
rum nostrarum statu ad te potissimum aliquid scribere, quem satis nonnunquam valde pro-
num erga nos et benevolum esse. Atque hoc ego eo feci libentius quod iussus iu-
vare vestrorum adolescentum studia habere videar occasionem saepius scribendi ad te
qui mihi eos et olim cum adduceres, et nuper cum reviseres, diligenter commendasti.
Sed quid verbis opus est? peragre ex primitiarum difficultatibus eluctari possumus.
uno flatu deferente alius excipit. una tempestas plures trahit. Ut qua diu ~~hoste~~
~~non~~ nunquam licuerit esse ~~otiosis~~ tranquillis. Prorsus usu venit nobis in huius scholae col-
lectione quod ~~ceteris~~ [illegible] solebat olim contingere, nempe ut et aditus difficiles et par-
va incrementa haberemus. Sed de his intempestiva querela est nisi quod te scio
etiam mala nostra velle cognoscere si quid haec abs te levari aut corrigi possent. Ve-
rum tu ea (ut opinor) multo citius quam si quid boni accidat, rescisces. Deus qui
vult docentium discentiumque coetus alibi honestos esse, per quos et pietatis et arti-
bonarum doctrina propagari possit, hanc in primordijs infelicem iactationem cleme-
ter tranquillet atque ~~ad~~ suam unius gloriam quaerendam uno nos omnes spiritu
compellat

Nr. 98)

[= Acer. a. 12: Nr. 18]

(marginal note:) ~~[illegible]~~ ~~[illegible]~~ vidimus
(marginal note:) [illegible]

compellat. Amen. Crawferi vestri hactenus dederunt bonam spem futurae frugis, non desunt officio professorum adolescentum. colunt praeceptores. non detrectant legitimum imperium. studijs et praescriptis laboribus pro hac aetate alacriter incumbunt euadent in viros patriae suae salutares si modo a contagione huius corruptissimi seculi adiuuante Deo vindicari possunt. Scis huic aetati quae etiam per se prona praeceps est innumeros passim laqueos tendi quos nunquam omnes sine singulari custodia Dei gubernantis effugere possint. faciat Dominus propter gloriam suam ut aliqua nobis pars syncera supersit, sunt enim in omnibus scholis nonnulli a sacris, qui nimia sibi licentiam concedi volunt. Vale Duisburgi 16. Junij. 1561.

Nr. 99)

[= Mscr. A. 72: Nr. 19]

Pax Christi.

M. nicolao Rollio vesaliae.

Tua prudentia facit vir doctissime, ut intelligas mala nostra, pietas et φιλοστοργία ut ijs condoleas. Jam multis mensibus infelicissime iactatus sum neque fluunt res ex voto, vel in Schola vel in Ecclesia. Volui me [illegible]ciores nec possum, ut qui ab re mea vix habeo tantum ocij ut vel cum vno amico absente per epistolam loqui possim. At tamen ut sunt hic res meae videntur nec curiosi nec inhumani esse hominis tum de statu inchoatae Ecclesiae tum de herba laborantis Scholae, non affectu modo, sed re quoque ipsa solicitum esse. Quapropter dolui nuper et angebar cum intelligerem quam proximis literis spem feceras tui ad nos ~~ad nos~~ aduentus: iam de nihilo esse, aut certe in longum diem proferri. percupidus eram tui conueniendi familiariter et coram de ijs agendi quae neque tibi tam occupato intempestiuiter obijci debent, neque sine periculo alicuius offensa chartis committuntur. Sed quoniam de ijs quae dico non opus est accelerata deliberatione, et res dare poterit ut vel me istuc, vel Rollium ad nos huc, aliqua interueniens necessitas compellat, in praesens ea tempus amittantur. Credis ne frater Reuerende quaecunque se nobis obstacula opposuerunt hactenus ea mihi memoriter et verbis (ut dicitur) expressis, a Communi amico, et Patre nostro D. Doctore Alberto Hardenbergo, praemonstrata fuisse. Sane si ut prioribus usque adhuc: ita ijs quae restat in posterum, respondebit euentus. Dices equi senectam mihi sortito obtigisse. Dum haec scribo Geldorpius interuenit, non possum nunc plura quae conceperam. Vale.

omittantur.

M. Blasius Le-ron frater et amicus voluit nuper ex me cognoscere quanti alam meos contubernales, nisi res esset infra tuam dignitatem rogarem ut mihi apud eum velles epistolae vice esse, atque hoc renunciare ex me, pueros qui suos afferunt lectulos partim 24. daleris ali[os] parti[m] 26: alios quibus ipse sterno vel 26 vel 28, ut est fortuna vel ut parentum liberalitas sint, nam ego nunquam auare pretium statui arti meae. Iterum vale frater carissime. Hermannus qui has ad te, vos amat, et ego illi lubens si possim faciam bene.

Duisburg. 21 Junij. 1561

Johannes Molanus.